

Nobilitas A

Sola apud Deum libertas est non servire peccatis. Summa apud Deum nobilitas est clarum esse virtutibus.

Hieronymus in epistola ad Celanciam.

Nobilitas B

Nulli te umquam de generis nobilitate preponas, nec obscuriores quaslibet et humili loco natas te inferiores putes, nescit religio nostras personas nec condiciones hominum sed animas inspicit.

Ibidem.

Nobilitas C

Ille apud Deum preest potior non quem nobilitas generis nec dignitas seculi, sed quem devotio fidei et sancta vita commendat.

Hieronymus in quadam epistola.

Nobilitas D

Nichil aliud video in nobilitate appetendum, nisi quod nobiles quadam necessitate constringuntur, ne ab antiquorum probitate degenerent. Non enim datur nobili patri palma sed cursui et plerumque nobilitas carnis ignobilitatem parit mentis.

Hieronymus in quadam epistola.

Nobilitas E

Nonnullis solet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis, ut minus se in hoc modo despiciant, qui plus se ceteris aliquid fuisse meminerunt.

Gregorius in dialogo.

Nobilitas F

Genus clarum, corpus aptum, forma evidens, ingenium velox, erudicionis utilitas et morum honestas: gloriosa quidem sunt si tibi usurpas est qui quereat et iudicet.

Bernardus in epistola ad magistrum Gualterium de calvo monte.

Nobilitas G

Nescio cum quo pacto virtus ignobili placet an forte plus claret, siquidem ignobilis cum caret gloria, non facile liquet utrum quia noluit aut quia non possit habere; laudo factam de necessitate virtutem, sed plus illam quam elegit libertas non inducit necessitas.

Bernardus in quadam epistola.

Nobilitas H

Ille clarus, ille sublimis, ille nobilis, ille tunc integram nobilitatem suam putet, si dedignetur servire viciis et ab eis non superari.

Chrysostomus super Mattheum.

Nobilitas I

Quid enim prodest ei quem sordidant mores generacio clara? Aut quid nocet illi generacio vilis quem mores adornant? Ipse enim se vacuum ab omnibus bonis ostendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Ham quod fuerit Noe filius? Nonne separatus de medio filiorum qui secundum carnem frater fuerat natus, secundum animam factus est servus? Nec familia eius sancta potuit defendere impios mores.

Chrysostomus super illud Matthei 4: Patrem habemus Abraham.

Nobilitas K

Quid Timotheo nocuisse creditur quod fuit ex patre gentili, aut quid nocuit Abrahe quod patrem habuit tharam luteorum deorum cultorem? Nonne separatus a genere suo, positus est in caput fidelium, ut iam non diceretur filius peccatorum sed pater sanctorum? Nec potuerunt eius gloriam sordidare paterni errores.

Chrysostomus ibidem.

Nobilitas L

Stagnum de argento egreditur, sed non est argentum. Itaque argentum colatum servatur, stagnum autem foras expellitur. Melius est de contemptibili genere clarum fieri quam de claro genere contemptibilem nasci. Qui enim de claro genere clarus nascitur, gloria claritudinis eius non est eius solius, sed communis videtur; qui autem de contemptibili genere clarus egreditur, tota gloria claritudinis eius solius est, qui vero de contemptibili genere contemptibilis nascitur, turpitudine contemptibilitatis solius eius non est, sed etiam generis, qui autem de claro genere contemptibilis nascitur omnis turpitudine est eius solius. Ideo melius est ut in te gloriantur parentes, quam tu in parentibus glories.

Chrysostomus ibidem.

Nobilitas M

Nobilitas a me procedens est michi cordi plusquam que patrum procedit nobilitate, quia in quo desinit cuiusque nobilitas, tunc avorum nobilitate congrue indiget.

Cassiodorus in quadam epistola.

Nobilitas N

Sicut indigna posteritas laudes antiqui generis abnegat, ita preclara de patribus egregie dicta confirmat, iuxta illud: Preconia veterum presens docuit vena virtutum. Laudabilis enim vena suam servat originem et fideliter posterius tradit que in se gloriosa transmissione promeruit.

Cassiodorus libro 3. epistolarum.

Nobilitas O

Similitudinem suorum felix vena custodit, quando pudet delinquere qui similia nequit in suo genere reperire. Hinc est quod melius agnoscitur elegisse nobilem quam fecisse felicem, quia iste commonitus per veterum se facta custodit, ille autem exemplum non habet nisi quod fecerit.

Cassiodorus ibidem.

Nobilitas P

Nam si inveterate et per genus ducte divicie nobilem faciunt, multo magis prestantior est nobilitas cuius origo thesauris prudentie locuplex invenitur.

Cassiodorus ibidem.

Nobilitas Q

Si possent homines facere sibi sortem nascendi nemo esset humilis, nemo egens unusquisque felicem domum invaderet sed quamdiu non sumus natura nos regit et in quamcumque vult casam nos mittit. Quemcumque voveris revolvere nobilem ad humilitatem pervenies. Quid recenseam singulos, cum hanc urbem tibi possem ostendere, nudi stetero colles, inter quos tamen effusa menia. Nichil est humili casa nobilior.

Seneca de sententiis oratorum.

Nobilitas R

Eis qui non nati sunt nobiles sed facti nichil crudelius iuxta illud: Asperius nichil humili cum surgit in altum.

Ibidem.

Nobilitas S

Habet hoc optimum generosus animus quod concitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenii virum humilia delectantur et sordida. Felix qui ad meliora impetum animi dedit, ponet se extra condicionem fortune, prospera tentabit adversa comminuet et aliis admiranda despiciet.

Seneca 37. epistola.

Nobilitas T

Nobilitas animi generositas est sensus, nobilitas hominis est generosus animus.

Ibidem.

Nobilitas U

Ingenuitas non recipit contumeliam.

Seneca libro de moribus.